

This table has been published in the volume : Anne Grondeux & Irène Rosier-Catach, *Priscien lu par Guillaume de Champeaux et son école : Les Notae Dunelmenses (Durham C.IV.29)*, Turnhout, Brepols, 2017, vol. I p. 397-398. It is reproduced here with the kind permission of the publisher.

(C 43rb, K 36ra) Tractauit prius de duobus accidentibus uerbi, scilicet de genere et tempore. Modo uult tractare de hoc accidenti quod est modus. Vt autem melius uideamus quomodo modus accidat uerbo, uidendum est quid 'modus', ista uox, proprie significet. 'Modus', ista uox, accipitur pro substantiuo et (] pro K) adiectiuo.

(1) Pro substantiuo accipitur quando significat ipsam inclinationem (C<sup>2</sup>] inde omne C in de commune K), id est quandam qualitatem sic uocatam quae fundatur in animo proferentis uerbum. Inclinat enim per se proferens animum suum circa ipsam actionem diuerso modo, aliquando ita ut indicet esse in praesenti, aliquando in praeterito, aliquando in futuro, aliquando uero se inclinatur ad hoc ut imperet eam esse, aliquando inclinatur ut optet aliquid (K ] aliud C) de ea, aliquando inclinatur se ut aliam actionem ei coniungat, ut cum dico 'cum faciam uitulam pro frugibus ipse uenit'. Aliquando indeterminata est ipsa inclinatio, quia (C<sup>2</sup>K ] quod C) aequaliter se habet (C ] tr. K) ad indicatiuam, ad imperatiuam et ad ceteras quae diuersae inclinationes per constructionem (K ] pro -ne C) aliorum uerborum determinantur. Sicut autem diximus uerbum praeter actionem et passionem quam (C] quod K) principaliter significat, secundario, id est accidentaliter, significare ipsum tempus quod ei adiacet, ita dicimus uerbum praeter illud totum accidentaliter significare inclinationem quae de ea actione (C<sup>2</sup>] ea actum C eo actu K) habetur.

(2) Possumus etiam dicere quod modus significet ipsum animum ponens in eo inclinationem de ipsa actione habitam (C] -ta K). In hac significatione est 'modus' formatum<sup>1</sup>.

(3) Accipitur et alio modo formatum, ita scilicet quod significet ipsas uoces uerbales (C] uerbales K) 'amat', 'legit' et ponens in illis significationem inclinationis.

(4) Etiam si auctoritas haberet, possemus (C<sup>2</sup>K ] -umus C) dicere quod substantialiter significaret ipsam significationem inclinationis (C<sup>2</sup>] om. CK).

(=1) Modo dicamus 'modus accidit', id est inclinatio animi uerbo accidit, ut accidentaliter et secundario ab eo significetur.

(=4) Vel ita modus, id est significatio inclinationis, uerbo accidit (C] tr. K) proprie, ut albedo Socrati.

(=2) Et etiam possumus dicere 'modus accidit uerbo', id est actioni a uerbo significatae. Est enim ipsa actio modificata et ipse animus potest dici modificatus.

(=3) Vel sic modus accidit uerbo ad consignificandum (C<sup>2</sup>] significandum CK), quia istae uoces 'modus' et 'uerbum' consignificant (C<sup>2</sup>] significant CK) circa istas partes 'amat' 'legit'.

Quando autem quaeritur 'lego cuius modi est?', sic exponendum est, (C 43va) (=1) quae inclinatio animi accidit illi (C<sup>2</sup>] om. CK) uerbo ad significandum, scilicet uel indicatiua uel imperatiua (i. u. i. K] tr. C) et similia (K] similiter C), uel (=4) quae significatio inclinationis accidit illi uerbo (i. u. C<sup>2</sup>] om. CK), uel (=3) de quo numero uocum inclinationem (C] -ne K) significantium.

---

<sup>1</sup>. Au vu de la bipartition *substantiuum / adiectiuum* énoncée plus haut, c'est *adiectiuum* qu'on attendrait.

